

- molitur: paci favet et genus humanum ad concordiam vocat.
- 27 Non est, inquam, instrumentorum ad usus necessarios opifex. Quid illi tam parvula adsignas? artificem vides vitae. Alias quidem artes sub dominio habet; nam cui vita, illi vitae quoque ornantia serviunt: ceterum ad beatum statum tendit, 5
- 28 illo ducit, illo vias aperit. Quae sint mala, quae videantur ostendit; vanitatem exuit mentibus, dat magnitudinem solidam, inflatam vero et ex inani speciosam reprimit, nec ignorari sinit inter magna quid intersit et tumida; totius naturae notitiam ac sui tradit. Quid sint di qualesque 10 declarat, quid inferi, quid lares et genii, quid in secundam numinum formam animae perpetitae, ubi consistent, quid agant, quid possint, quid velint. Haec eius initiamenta sunt, per quae non municipale sacrum sed ingens deorum omnium templum, mundus ipse, reseratur, cuius vera simulacra 15 verasque facies cernendas mentibus protulit; nam ad spectacula tam magna hebes visus est. Ad initia deinde rerum redit aeternamque rationem toti inditam et vim omnium seminum singula proprie figurantem. Tum de animo coepit inquirere, unde esset, ubi, quamdiu, in quot membra divisus. 20 Deinde a corporibus se ad incorporalia transtulit veritatemque et argumenta eius excussit; post haec quemadmodum discernerentur vitae aut vocis ambigua; in utraque enim falsa veris inmixta sunt.
- 30 Non abduxit, inquam, se (ut Posidonio videtur) ab istis 25 artibus sapiens, sed ad illas omnino non venit. Nihil enim dignum inventu iudicasset quod non erat dignum perpetuo
- 31 usu iudicaturus; ponenda non sumeret. 'Anacharsis' inquit 'invenit rotam figuli, cuius circuitu vasa formantur.' Deinde